



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLI. Expenduntur Canones 4. Concilij Mileuitani, & arausicam, & an Deus
expectet hominis voluntatem, exponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

prædeterminans physicè potentiam, & potest dari ætiale auxilium adiuuans, quod nō sit inspiratio, nec præueniens motio, ac proinde neque prædeterminans. Ergo quicquid additur est præter doctrinam datam à concilio in illo loco. quod potest confirmari ex cap. 16. ubi numerans auxilia quæ Christus in iustificatos influit, & optimè possunt sine prædeterminatione subsistere, addit Concilium, illis positis nihil iustificatis deesse ad bene operandum, & merendum.

10.
Secunda ob-
iectio.

Alter locus est Canon. 4. Nā quia Concilium ibi dicit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, & c. posse dissentire, si velit, & aliquid agere, neque merè passivè se habere, inferunt, cum dicit, motum, & excitatum, præter excitationem ponere motionem, quæ non potest esse nisi prædeterminatio, ac subinde cum dicit, posse dissentire, si velit, solum docere, per illā motionem non auferri à voluntate libertatem, quam habet innatam, ac proinde posse dissentire in sensu diuiso. Ac denique ex eo, quod concilium contra Lutherum docet, aliquid agere liberum arbitrium, quia non merè passivè se habet, colligunt sensisse Concilium, hoc satis fuisse ad damnandum etiam Caluinum, quia si voluntas agendo consentit & cum potestate dissentendi, non potest non liberè agere.

11.
Respondetur.

Sed hæc quàm sint contraria verbis, & intentioni Concilij, satis à nobis ostensum est, & breuiter declaratur. Nam in primis cum dicit, motum & excitatum, gratis fingitur particulam motum idem significare, quod prædeterminatum. Nam si attendamus ordinem litteræ, prius dicit, motum quàm excitatum: cum tamen si detur prædeterminatio, excitatio debeat illā præcedere; si verò vim vocis spectemus, motum vniuersalior est, quàm prædeterminatum, vel excitatum. Non oportet ergo per illas duas voces, duas distinctas mutationes intelligere, sed quod per vnā dictum fuerat generali verbo, per alteram magis in specie declaratur. Vel certe, quia liberum arbitrium dicitur moueri obiectiue, per intellectus illuminationem, & obiecti propositionem, quæ motio quoad voluntatem, est quodammodo metaphorica, fortasse insinuare voluit Concilium liberum arbitrium non solum habere esse motum, vtique illo modo, sed etiam excitatum per aliquam affectionem in illo formaliter receptam, vt lib. 3. explicatum est.

Fortè tamen sine vllo misterio duas voces posuit Concilium ad maiorem rei expressionem, sicut ibidem, subiungit assentiendo Deo excitanti, atque vocanti quæ duæ voces ferè æquipollentes sunt, vel eandem rem sub diuersis respectibus significant, & de neutra earum fingi potest, quod prædeterminationem significat. Vnde quod Concilium addit posse dissentire, si velit, euidenter destruit prædeterminationem, quia necesse est loqui de potestate in sensu cōposito, vt probatum est, qui sensus est impossibilis, & contradictionem inuoluit cum physica prædeterminatione, vt in cap. 11. ostensum est. Quapropter quod tandem addit Concilium liberum arbitrium aliquid agere, non physice tantum, sed etiam moraliter intelligendum est, prout agere dicitur, qui est dominus suæ actionis. Vnde in cap. 5. inde probat liberum arbitrium aliquid agere recipiendo inspirationem, quia illam abicere potest, quia nisi ageret, vt habens dominium sui actus, non posset inspirationem abicere. Vnde in hoc etiam distinguit hominē à brutis vel inanimatis, quæ comparata ad hominē nō agunt, licet efficientiā physicā habeant.

13.
Obiectio.
Tertia.

Tertius locus est in cap. 16. ubi Concilium ait, Non habere hominem vnde in se, & non in Domino gloriatur, cuius tanta est bonitas erga homines, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. At vero si determinatio ad consensum esset ita propria humanæ voluntatis, & nō

esset ex prædeterminatione Dei, iam haberet homo aliquod omnino propriū, vnde in se, & non in Domino gloriaretur, vtique in sua determinatione, quæ magni momenti est ad meritum. Imo cum actus solum imputetur homini ad meritum ratione illius determinationis, non rectè diceretur Deus imputare nobis ad meritum sua dona, sed determinationem nostram nobis omnino propriam.

Respondemus etiam in hoc argumento tacite inuolui illam pessimam illationem, quod determinatio nostra libera, si non sit ex prædeterminatione physica Dei, non sit domum Dei, quod falsum omnino est, quia vt actus nostri sint dona Dei, non oportet quod sint ex prædeterminatione diuina, sed vt idem Concilium dicit, satis est, quod sint ex virtute à Christo infusa, quæ talia opera antecedit, comitatur & subsequitur, sine qua Deo grata esse non possent, quæ omnia habent nostra bona opera sine prædeterminatione, nam illa antecedit virtus gratiæ excitantis, comitatur virtus gratiæ adiuuantis, subsequitur vero quatenus ad perseuerandum in gratia, bona opera multiplicando, eadem antecedens, & comitans virtus necessaria est. Cum ergo tota hæc virtus optimè sine prædeterminatione subsistat, non est necessaria ex mente Concilij prædeterminatio, vt nostra bona merita dona sint Dei.

Et ob eandem causam, non sequitur posse nos in nobis, & non in Deo de aliquo nostro bono gloriari: nam ipsa libera determinatio, etiam si à nobis sit, est donum Dei, quia ab eius vocatione congrua, & auxilio nos adiuuante procedit, & qui sic de illa gloriatur, non in se, sed in Domino gloriatur. Scriptura enim (quod attentè considerandum est) cum laudat verba Concilium vsurpat, nō prohibet simpliciter gloriari, sed in se, nō in Domino, vt Ierem. c. 9. significauit, & exposuit Paulus 1. Cor. 1. & 2. Cor. 10. ubi simul prohibemur gloriari in nobis. Cōceditur autem nobis in Domino gloriari. At verò sicut ex Pelagiano errore sequitur gloriatio hominis in seipso, ita ex prædeterminatione physica tollitur omnis gloriatio in Domino, quia tribuitur opus gratiæ, vt nulla gloria possit ex eo in hominem redundare etiam in Domino, quia determinatio ad bonum opus nullo modo est à libertate ipsius hominis, sed ex sola impressione diuina. Concilium autem cum Paulo ita cōiungit gratiæ influxum cum operatione nostra libera, vt non possit homo in se gloriari in Deo autem possit.

CAPVT XLI

Expenduntur Canones 4. Concilij Mileuitani, & Arausiacani, & an Deus expectet hominum voluntatem, exponitur.

Præter Concilium Tridentinum nulla generalis Synodus aliquid de gratia in particulari definiuit. nam licet Ephesina Synodus Pelagianos damnauerit, non tamen ex professio doctrinam fidei tradidit, sed solum Cælestini 1. Cor. 1. & 2. Cor. 10. ubi simul prohibemur gloriari in nobis. Cōceditur autem nobis in Domino gloriari. At verò sicut ex Pelagiano errore sequitur gloriatio hominis in seipso, ita ex prædeterminatione physica tollitur omnis gloriatio in Domino, quia tribuitur opus gratiæ, vt nulla gloria possit ex eo in hominem redundare etiam in Domino, quia determinatio ad bonum opus nullo modo est à libertate ipsius hominis, sed ex sola impressione diuina. Concilium autem cum Paulo ita cōiungit gratiæ influxum cum operatione nostra libera, vt non possit homo in se gloriari in Deo autem possit.

per Baptisum definiunt, in tertio verò, quarto, & quinto necessitas gratiæ adiuvantis ad cauenda peccata docetur. De quo adiutorio in sexto, septimo, & octavo traditur, in hac vita non esse tale, vt ad vitandum sine vilo peccato sufficiat. Ex omnibus ergo illis capitibus tantum hæc verba quæ in Can. 4. leguntur, aliquibus possunt ad præsentem causam conferre. Per gratiam non solum nobis reuelari, quid vitare debeamus, sed etiam nobis præstari, vt faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. Quæ possunt in hunc modum pro physica prædeterminatione induci, quia cum illud Concilium ait, per gratiam præstari, non intelligit tantum moraliter, sed etiam verè efficienter, ac physice, ergo efficit in nobis gratiæ, & vt valeamus diligere, & vt diligamus: primum autem præstat per gratiam sufficientem, ergo secundum præbet per efficaciam, ergo per gratiam prædeterminantem. At verò in hac inductione ceteris omnibus concessis hæc vltima consequentia nullius momenti est; præstat enim nobis Deus tam moraliter, quam physice, vt ipsum amemus, moraliter quidem per gratiam efficacem præuenientem, congruè nos vocando; physice verò per gratiam concomitantem, & simultaneam physice nos adiuvando, quod optimè fit sine vlla prædeterminatione, vt sepe est à nobis explicatum. Cum ergo illud Concilium, non aliud gratiæ adiutorium requirat, potius ex illius negativa auctoritate contra prædeterminantem gratiæ necessitatem argumentamur. Nec in illo Concilio aliud in hac causa consideratione dignum inuenio.

Ex Concilio Arausicano generaliter obiciuntur nobis illæ locutiones ipsa gratia facit vt inuocetur a nobis, Can. 3. Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum operatur, vt operemur operatur, Can. 9. Nemo ex eo quod videtur habere, gloriatur tanquam non acceperit, Can. 16. Multa in homine bona, sunt quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non præstat Deus vt faciat homo, Can. 20. Propterea donum Dei est diligere Deum, ipse vt diligetur dedit. Ac denique addunt illa in quibus necessitas præuenientis auxilij definitur. Verumtamen hæc omnia confirmant potius nostram sententiam, quam oppugnant, quatenus tantum doceant nos moueri, & iuari à gratia per inspirationes præuenientes, & adiutorium comitantis, & simultaneum: nec alicuius auxilij prædeterminantis mentionem faciunt. Illud enim duo auxiliorum genera per illa verba indicantur; Deus in nobis atque nobiscum operatur. Dicitur enim Deus operari in nobis, quando solus ipse nos mouet, operatur autem hoc modo illuminationes, & inspirationes sanctas nobis infundendo, vt idem Concil. dicit Can. 45. & 6. & 7. & per eandem dicit facere Deum, vt ipsum inuocemus, oremus, amemus, seu velimus, & scilicet oportet operemur: per inspirationes autem, & illuminationes non prædeterminatur physica voluntas, vt iam ostensum est. Quod si vis fiat in verbis facienti, & operandi, quæ significant efficientiam physicam, idem respondemus quod de similibus verbis Scripturæ diximus. nam Concilium loquitur imitando Scripturam, & proximè imitatur August. de quo postea dicemus. Ac denique, ipsummet Concilium sensum suorum verborum satis explicat per verba illuminandi & inspirandi, per quæ dicit in Dan. 7. Dare Deum suauitatem in consentiendo & credendo. & Can. 17. dixit, fortitudinem Christianorum Christiana charitas facit, vbi verbum facit moralem certè causalitatem significat, & Can. 23. inquit. Quando homines ita faciunt, quod volunt, vt diuine seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas est à quo preparatur, & iubetur quod volunt, quæ est sententia August. tract. 19. in Ioan. & apud Prosper. 336. aliàs 338. Apud Augustinum autem voluntatem preparari à Domino, non est prædeter-

minari, sed congruè vocari, vt in proprio capite ostendimus. Sed aiunt, Concilium dicit hoc fieri in nobis per operationem diuinam, operatio autem diuina quid physicum est. Respondeo, etiam inspiratio est quid physicum, nam est diuina operatio, & non ideo prædeterminat.

Præter hæc, quæ generalia sunt, expenduntur contra nos duo alij Canones eiusdem Concilij. Prior est Can. 4. vbi Concilium damnat, Si quis dixerit, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare, &c. Nam ex nostra sententia sequitur, Deum expectare voluntatem nostram, vt eam à peccato purget, hoc autem est contra dicta verba Concilij, vt patet: ergo Maior, seu sequela probatur, quia Deus non purgat voluntatem à peccato, nisi iam consentientem, determinatam, sed Deus, (vt nos dicimus,) non efficaciter facit vt determinetur, ergo expectat illam vt se determinet, & sic à peccato purgetur. Ad hunc canonem respondi l. 3. de Auxiliis c. 15. Deum non expectare voluntatem hominis non vocati, vt illi vocet, expectare tamè voluntatem hominis iam vocati, vt consentiat.

Hoc verò responsum acriter reprehenderunt, qui postea pro auxilio prædeterminante scripserunt. Ex quibus Cumel. dicto lib. 1. disp. 4. sect. 3. derunt. parum à principio dixit esse sententiam falsissimam. Alij verò dicunt esse contra illud Concilium, quia sensus illius Canonis, vt aiunt, est, quod licet quis habeat auxilium sufficiens ad conuersionem, & purgationem peccatorum, Deus postea non expectat nostram voluntatem, vt actu velit purgari & conuerti. Hunc autem esse sensum Concilij probat Aluarez ex contrario errore Malsiliensi, quod Concilium damnat. Malsiliensis enim sententia erat, postquam Deus vocat hominem ad poenitentiam, expectare eum, vt si velit, consentiat, non autem efficere, vt efficaciter, & infallibiliter præbeat assensum; ergo hoc est quod damnat Concilium. Antecedens probat ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, & epistola 107. Aug. ad Vitalem. Et ad idem ponderat verba Concilij, quia non damnat dicentes, Deum expectare nostram voluntatem, vt illam excitet, sed non expectare, vt illam à peccato purget. Et addit rationem quia vt purgari velimus, fit in nobis per Spiritus sancti illuminationem, quæ debet esse operatio physica, de qua etiam loquitur Paulus, quem Concilium allegat ad Philip. 2. cum dicit, Deus est, qui operatur in nobis. Vbi etiam ponderat non dicere, operatur nobiscum, sed in nobis, quod antecessorem quandam significat. Denique addunt rationes, vt rem ipsam suadeant, quia causa efficiens non expectat suum effectum, seu Deus per auxilium præoperantis gratiæ est causa, quod homo velit; ergo non expectat illum, vt velit. Alias item rationes ab inconuenienti inducunt, quas in sequenti puncto melius proponam.

In quo sensu Catholico dicatur Deus expectare, vel non expectare voluntatem peccatorum, vt eum à peccato purget.

Punctum quod in intelligentia huius Canonis attingitur, est vnum ex præcipuis huius materiæ, in quo ecclesiastica definitio iure, ac merito desiderari, ac postulari potest: interim tamen dum Ecclesia aliud non definit, duo mihi videntur omnino, vera & à Theologis asserenda. Vnum est postquam Deus vocauit hominem sufficienter ad poenitentiam, expectare voluntatem eius, vt eum à peccato purget. Hanc assertionem probaui in loco citato verbis illis Apoc. 3. Ecce ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit, intrabo. Quia & metaphora ipsa, & modus loquendi aperte ostendunt postquàm Deus pulsauit, expectare responsum, sicut qui pulsauit ad ostium amici, expectat

Obiectio.

Solutio.

4. Adducuntur & expenduntur duo alij Canones eiusdem Concilij.

5. Reprehendunt.

Cumel.

Philipp. 2.

6. Punctum canonis.

prima.

Apoc. 3.

Dei, & hoc velle expectare Deum, vt in ipso salutis opus incipiat, & contra hunc sensum optimè probant dicta testimonia.

Præterea conuincitur hic sensus ex errore contrario, quem Concilium in illo canone damnare intendit. Nam Synodus illa directè impugnat Semipelagianorum errorem, vt in Prolegom. 6. ostendimus. Illorum autem error fuit, initium salutis sumi à libero arbitrio aliquid per se merente, saltè volendo, & desiderando sanitatem; & ideo dicebant hanc voluntatem expectare Deum, vt hominem à peccato purget. Et ita tota contentio cum illis fuit de prima excitatione, & vocatione diuina, cur quibusdam detur, & non aliis, vel cur huic maior aut citius, aut magis congrua, quam illi, quod totum referebant in solam hominis voluntatem, quam dicebant expectare Deum, vt iuxta eius affectum eam vocet. Vt autem Concilium hunc errorem damnaret, necessarium fuit loqui in sensu à nobis exposito; ergo in eo loquutum est. Maior latè à nobis probata est in Prolegomen. 5. & cum res consistat in facto testibus probanda est. Producant ergo prædicti Auctores actorem aliquem antiquum, vel modernum, qui ante ipsos dixit. contentionem cum Semipelagianis fuisse de consensu post vocationem ex auxilio gratiæ libere præstando, an Deus postquam hominem vocauit, illum expectet, necne, non potius de vocatione ipsa, & de aliquo bono vsu liberæ voluntatis, qui præcedere possit, aut debeat. Certè qui attentè legeret epistolas Prosperi, & Hilarij, & librum Augustini de prædestinat. Sanctior nihil aliud inueniet. Sed quia hæc in dicto Prolegom. 5. latè tractauimus, repetenda hic esse non censui.

Tertiò probare hoc possumus specialiter ex Augustino in eadem epistola 107. ad Vitalem, quæ in contrarium allegatur, vbi in principio ita refert errorem Vitalis, qui credebatur ante internum salutis initium non præcedere, nisi doctrinam, & legis, vel fidei propositionem, reliqua verò ex solis viribus liberæ voluntatis pendere. Vnde infra obiciendo illud Psalm. 36. A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius vult, ponderat Augustinus non dixisse, & viam eius discet, aut aliquid. (inquit) huiusmodi, quod posses dicere à Domino dari, sed homini iam volenti, vt scilicet, beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, vt viam eius discat, teneat, gradatur, sua homo voluntate præcedat, & hoc Deo donum sua præcedente voluntate mereatur. Hic ergo fuit error Semipelagianorum, contra quem, & contra Semipelagianos in progressu epistolæ disputat ex locis Scripturæ, quæ necessitatem gratiæ non solum ad progressum, sed etiam ad initium voluntatis bonæ conuincunt. Et inter alia dicit, Deum vocatione alia, atque secreta præmouere hominem, ita mouendo sensum, vt accomodet assensum. Et infra circa finem epistolæ ait, Quomodo dicitur, quod per legem Dei, atque doctrinam Scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit, Preparatur voluntas à Domino, ac non potius per occultam inspirationem gratiæ Dei? Et infra. Quomodo expectat voluntates hominum, vt præueniant eum quibus det gratiam, &c. Hoc ergo est quod ab Augustino damnatur, scilicet, quod Deus expectet, vel voluntas hominis præueniat ipsum, seu quod expectet meritum voluntatis operantis sua sola naturali libertate, vt ei gratiam suam communicare incipiat. Hoc ergo ipsum est quod Concilium Arausicum in illo Canone decreuit, nam eandem doctrinam contra eundem errorem tradere voluit.

Et simili modo Petrus Diacon. in lib. de Incarnat. & grat. cap. 7. referens argumentationem Malsilien- sium hanc dicit fuisse conclusionem eorum. Res- stat vt non ille, (scilicet Deus) excitet voluntatem huma- nam, sed eum expectet ab homine, vt eum sit in volen-

tibus primum, in nolentibus autem iussu damnatio. Non solum ergo dicebant Semipelagiani Deum expectare consensum, sed dicebant expectare voluntatem ad excitationem gratiæ, & consequenter illam voluntatem esse consensum quendam liberum à sola voluntate sine vlllo gratiæ auxilio conceptum. Contra quem errorem ipse argumentatur ex verbis Christi, Vati Corozain, vati Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone, &c. Quod exemplum euidenter ostendit intentionem eius contra Malsilienses fuisse, quod Deus non expectet prauam bonam voluntatem hominis ad eum vocandum. Vnde in cap. 8. sic contra eos incipit. Sed nos sequentes eundem Apostolum, omnium bonarum cogitationum originem, earumque confessionem, & voluntatem ex Deo, & per Deum, & in Deo dicimus, qui prauas hominum voluntates, & terrenis affectibus implicatas, per infusionem, & operationem intrinsecus Sancti Spiritus absoluit, & corrigit, sicut scriptum est, Preparatur voluntas à Domino. quod infra exponens verbis Cælestini Papæ addit, & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. Affirmabant ergo Semipelagiani Deum expectare voluntates hominum, vt eorum corda suis inspirationibus tangat, & hoc est, quod expectet hominem iam vocatum, vt consentiat.

Et hoc ipsum confirmat Fulgentius in libro suo de Incarn. & grat. cap. 30. vbi respondens Petro dicit, Ad illud, quod vestra eos dicere testatur epistola, id est, quia Deus expectat hominis voluntatem, &c. Et in eodem sensu errorem illum accipit, & ita illum impugnat exemplo paruulorum, quibus Deus confert gratiam suam non expectata eorum voluntate, quod exemplum optimè accommodatur adultis quoad gratiam vocationis, quam Deus solus facit, non verò quoad comitantem, qua post vocationem liberum consensum nobiscum operatur. Vnde inquit. Si ergo ad saluandos homines, sicut isti volunt, non exci- tuat, neq. mutat, sed expectat hominum voluntates, quomodo infantes, &c. Intellexit ergo Fulgentius sententiam Malsiliensium fuisse Deum non præuenire voluntates hominum, excitando illas, vt eas mutet, & de malis bonas faciat, sed expectare illas vt bonæ esse incipiant, & sic suam excitationem mereantur. Vnde infra suam argumentationem ita concludit. Si enim bonitas saltem non incipit hominis operari, nisi bonam eius inuenerit voluntatem, iniquum erit condemnari qui bene nec velle, nec nolle potuerit. Et infra, Certissime credendum est, & fiducialiter constituendum, vnam eandemque Dei gratiam in maioribus saluandis operari bone voluntatis initium, quæ in paruulis sine voluntate operatur saluationis effectum. Ipsa gratia infantes neq. volentes, neq. nolentes redimit, quæ maiores illuminando volentes ex nolentibus facit. In quibus omnibus ponderanda sunt duo. Vnum quod tota controuersia cum Semipelagianis erat de initio bone voluntatis; aliud, quod hoc initium ponitur in inspiratione & illuminatione, per quam Deus congruè vtq. datam voluntatem ex nolente volentē facit. Vnde postea subiungit. In paruulis salutis opus sine propria voluntatis assensu gratiæ Dei operante perficitur, quod bone voluntatis exordio diuinitus dato in maioribus inchoatur, vt opere solius gratiæ voluntas, quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratiæ secum operanti feruitum obedientie cooperatrici exhibeat. Ex quibus verbis colligo, ad illam solam gratiam, quam Deus solus operatur in nobis, non expectare Deum voluntatem nostram ex mente Fulgentij, qui hoc asserit, vt Semipelagianis contradicat; in hoc ergo illi errarunt, & hoc est quod damnat Concilium Arausicum, nam vt voluntas cooperetur gratiæ secum cooperanti, necessariū est eius obedientia expectanda.

Deniq. graues etiam Theologi illum Canonem ita intellexerunt. In primis Bellarminus de Grat. & liber. arbit. cap. 6. vbi contra quosdam qui dice-

Matth. 11.

15. Confirmat. Fulgent.

16. Accedit. Bellarmin.

Nn 4

quod Deus non vocet quos vult, ita vt efficaciter eos faciat consentire: quia inter vocationes datur aliqua efficax, quam Augustinus ibi altam, & secretam vocat, alibi congruam, & secundum propositum, & sicut absolute gratis vocat, ita etiam gratis sic, vel sic vocat. Et nihilominus etiam quando congrue vocat ad perfectionem operis, expectat in executione cooperationem liberam voluntatis, quamuis non certo præsciat infallibiliter esse futuram: hoc enim non est contra expectandi proprietatem. Et per hanc vocationem simul operatur Deus vt velimus, & expectat, vt ad volendum cooperemur; hæc enim duo non sunt repugnantia, sicut non repugnant Deum operari in nobis velle, & expectare vt fiat etiam à nobis. Et ita patet etiam responsum ad aliam verborum ponderationem, nam verbum operandi, & physicam efficientiam significare potest, quatenus Deus verè & physicè efficit in voluntate inspirationem, per quam illam vocat, & potest causalitatem etiam moralem significare, quatenus per illam excitationem allicit voluntatem ad consensum, vt in superioribus explicatum est.

Ad ultimam rationem, quod causa non expectat suum effectum respondeo, Deum propriè non expectare suum effectum, vt illummet effectum producat, sed expectare concussam liberam, vt secum efficiat. Deus enim per suam præuenientem gratiã non est adæquata, vel vnica causa efficiens consensum humane voluntatis, sed determinationis eius, sed est primaria causa, quæ operari non vult ipsum consensum sine alia causa libera, & ideo expectat cooperationem, vel, (vt ita dicam) co-determinationem eius. Quod si inietur, quia licet Deus vt faciens consensum, non sit sola causa illius, nihilominus vt facit voluntatem velle per gratiam præoperantem est causa vnica. Respondeo vt sic non esse causam actualiter efficientem consensum, sed solam vocationem ad consensum, & ad illam efficiendam, non expectare voluntatem hominis, illa verò vocatione iam facta, per illam non facit actualiter voluntatē velle & ideo illam expectat, vt secum faciat determinationem, seu ipsum velle. Vnde Aug. in dicto c. de grat. & lib. arb. postquam dixit, *Vt quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent voluntatem?*

Subiungit. *Tamen ne ipsa voluntas sine gratia putetur aliquid posse continere, cum dixisset, Gratia eius in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laborauit, subiungit, & ait, Non ergo sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc ne gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Vt autē de celo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur gratia Dei erat sola. Ad vocationem ergo nihil est quod expectetur, ad effectum autem vocationis liberam voluntatis cooperationem expectari, necesse est. Vnde si determinatio ipsa libera voluntatis consideretur vt est effectus Dei, sub ea ratione non expectatur à Deo, sed sit, provt est verò à libero arbitrio, sic expectat Deus, vt voluntas humana secum in illam influat. Deniq; addo quando vna causa habet plures effectus inter se subordinatos, rectè esse posse expectare vnum, vt faciat alium, & sic Deus expectat organizationem corporis humani, vt creet animã, quamuis organizationem etiam ipse faciat. Et ita etiam vt gratiam sanctificantem infundat, expectat hominis conuersionem, quamuis hanc etiam ipse faciat. Nunquã tamen dicitur expectare illum effectum, vt ab ipso est, sed vt futurus est ab alia concussa, & propriè tunc habet locum, quando efficientia alterius causæ non est omnino ad vnum determinata, vt facis declaratum est.*

Vltimò in hoc puncto adnotare libet quendam modernum Scriptorem mihi hac occasione imposuisse, quod in Metaphys. disp. 22. sectione 4. dixerim, *Propter videntiam Dei expectare determinationem voluntatis humane, & in hoc dictum inuenitur, quia sic suberare-*

tur prouidentia libera nostræ voluntatis determinationi, quia supponeretur prouidentia, & quod alii cui causæ supponitur, ab illa non fit. Sed illa propositio in terminis non inuenitur in dicto loco Metaphysicæ, nec in aliis scriptis meis. Neq; sequitur ex hoc, quod Deus expectet voluntatem nostrã ad ipsam determinationem eũ illa faciendã. Neq; ex eo quod expectet voluntatis consensum ad aliam subsequentem gratiam conferendã, sequitur expectare illum ad totum ordinem prouidentia sue, provt per illam propositionem significatur. Quocirca cuiuscunq; sit illa propositio, vt nimirum est ambigua, & non simpliciter proferenda, quia prouidentia est eterna, & comprehendit vtrunq; ordinem intentionis & executionis, & sub vtroq; cadunt libere determinationes humane. Et vt Deus per suam prouidentiam antecederet de illis disponat, nõ expectat illas nec cooperationem voluntatis, quia dispositio prouidentia antecedit executionem, & determinationem. Et hoc modo simpliciter loquendo libera determinationi, & cooperatio voluntatis, est sub prouidentia vel prohibente, vel permitte & offerente generalem concursum, vt in operibus malis, vel ordinãte, consulente, præcipiente, vel etiam præfiniente in operibus gratia. Et ita quoad hæc omnia prouidentia non expectat cooperationem liberam voluntatis. At verò quoad ea, quæ pertinent ad ordinem executionis, prouidentia, vel potius gubernatio diuina expectat voluntatem humanam, vel vt cooperetur ad faciendum consensum, vel vt illi tribuat prænam, vel præmium iuxta eius cooperationem. Et sic in presenti materia non dicitur verè prædeterminatio diuina, expectare determinationem humanam, & consequenter neq; vocatio quæ est primus prædestinationis, vel supernaturalis prouidentia effectus: iustificatio autem diuina rectè dicitur expectare illam, & eadem ratione cooperatio auxilij diuini dicitur expectare cooperationem arbitrij: quia isti sunt particulares effectus prouidentia gratia, qui secundum ordinem executionis à cooperatione voluntatis pendent, quam Deus perinde expectat.

CAPVT XLII.

Expenduntur canones quintus, & vigesimus quintus Concilij Arausicani, & an initium bonæ operationis sit, vel non sit, à libero arbitrio, declaratur.

ALter Canon illius Concilij, qui in hac causã inducitur, est Canon quintus, vbi damnatur, qui Canon. 5. & dixerit initium fidei esse ex nobis, & non esse ex 25. Concilij Deo, quod generalius dicitur in Canone 25. *Hoc sa- Arausicani. lubriter profiteamur, & credimus quod in omni opere bono nos non incipimus.* Nam hoc (aiunt) intelligendum est de initio proximo, non de remoto tantum seu de initio efficacia gratia, non tantum de sufficiente, quia solus non inchoatur, nisi per gratiam efficacem, nec bonum opus incipit propriè, nisi cum voluntas incipit ad consensum determinari. Vt ergo vera sit vniuersalis illa definitio Concilij, necesse est vt voluntas nostra in suo bono consensu à Deo prædeterminetur, vt sic Deus incipiat in nobis bonam voluntatem. Alioqui si voluntas est, quæ se determinat, illa inchoat bonum opus, & nõ Deus, & sic falsum est quod in omni opere bono nos non incipimus. Propter hoc argumentum solent alij Auctores nobis tribuere, quod asseramus initium bonæ operationis, ita esse nostrum, vt non sit Dei mouentis: eo que progrediuntur, vt nos affirmare dicant initium consensus liberi esse ex nobis solis, secluso Deo,